

rogitabit mē ubi fuerim : “ ego hodie toto non vidi die.”
 quid dicam? *SY.* nilne in mentemst? *CT.* numquam
 quicquam. *SY.* tanto nequior.

cliens amicus hospes nemost vobis? *CT.* sunt: quid
 postea?

SY. hisce opera ut data sit? *CT.* quae non data sit? non 530
 potest fieri. *SY.* potest.

15 *CT.* interdus; sed si hic pernocto, causae quid dicam,
 Syre?

SY. vah quam vellem etiam noctu amicis operam mos
 esset dari!

quin tu otiosus esto: ego illi(u)s sensum pulchre calleo.
 quom fervit maxume, tam placidum quā ovem reddo.

CT. quomodo?

SY. laudari te audit lubenter: facio te apud illum deum; 535
 20 virtutes narro. *CT.* meās? *SY.* tuas: homini ilico lacru-
 mae cadunt

quasi puero gaudio. em tibi autem! *CT.* quidnamst?
SY. lupus in fabula.

CT. pater est? *SY.* ipsust. *CT.* Syre, quid agimu'? *SY.*
 fuge modo intro; ego videro.

CT. siquid rogabit, nusquam tu me: audistin? *SY.* potin
 ut desinas?

ii D E M E A C T E S I P H O S Y R V S

DE. Nē ego homō sum infelix: primum fratrem nusquam 540
 invenio gentium;

praeterea autem, dūm illum quaero, a villa mercennarium

